

latem : « Non hoc Dominus imperavit, *coge*, » inquit, « intrare; sed foris inveniatur necessitas, et nascitur inde voluntas. »

11. — Non defuere Expositores, qui hanc compulsionem de adversitatibus sunt interpretati, utpote qua saepe numero reducitur ad penitentiam : « Hoc quoque notandum, » inquit Dionysius Carthusianus, « quod Deus interdum vocat inspiratione interna, interdum predicatione externa, aliquando beneficiis, aliquando flagellis. » Quo etiam spectat celebris illa S. Gregorii sententia, dicentis : « Mala quae nos hic promunt, ad Deum ire compellant. » Glossa insuper notat, quod Paterfamilias hac ultima vice non jussit servo suo, ut invitaret, sed dixerit : *Compelle intrare* : « Qui enim hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque a praesentis vitae desideris corriguntur, illi non nisi compulsi intrant. » Ejusdem quoque sententiae Hugo Cardinalis fuit, dum ait : « Dominus quosdam compellit, quos scilicet adversitate vel infirmitate, vel paupertate, vel tentatione ad penitentiam vocat; » adducitque illud S. Augustini dictum : « Felix necessitas, quae nos ad meliorem compellit; » Deus etenim interdum nostris se opponit consiliis et conatibus, vel, ut spem conceptam, aut longae alicujus servitutis merita amittamus, effici, ne desperemus in hac vita; diversa nobis in viam, qua tendimus impedimenta objicit, ne ad concupitum pertingere valeamus carnalem delectationem; vel etiam in penam illius incurabili nos infirmitate punit, *Osc.*, II, 6 : *Scipiam viam tuam spiritus*, ut a malis viis nostris redeant et respicientes ad hanc aeternae beatitudinis coenam aditum habere valeamus, *Psal.* LXXXII, 17 : *Imple faciem eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine.*

12. — Adhaec S. Augustinus, *Serm.* CCIV, observat, quod Paterfamilias quoad primos invitatos servis suis jussit : *Introduce huc*, non vero item quoad ultimos, sed circa hos praecipit, dicens : *Compelle intrare*; « ita significata sunt Ecclesiae primordia adhuc crescentis, ut essent vires etiam compellentis. »

13. — Verbum hoc, inquit Jansenius, « indicat ardens desiderium, et summam liberalitatem Domini, cupientis suas delicias quamplurimis communicare, » vult enim, ut ita dicam, vim nobis inferre ad recipiendos et acceptandos ejus favores et gratias.

14. — Idem quoque in hisce verbis denotatum esse considerat predicationis Evangelicae efficaciam : Quae effectura erat, ut Ethnici, qui belluino potius quam humano more debebant tam subito, ac in tanta multitudine ad tantam philosophiam evehererent, ut videri possint coacti, et vis quadam illis illata, *I Cor.*, II, 4 : *Non in persuasibilitas humanae sapientiae verbis, sed in ostensione*

spiritus et virtutis. Thessal., I, 5 : *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute, et in Spiritu Sancto, et plenitudine multa.* » Motiva porro, quae illos constringebant ad credendum in Christum, seu quod idem est, ad acceptandam hanc coenam, multa erant. Idem Jansenius ex illis multis pauca quadam enumerat, dicens, id factum esse « in miraculorum operatione, in praedicationis et doctrinae assiduitate et constantia, in vitae sinceritate et integritate. » Compulsio ista, inquit Albertus Magnus, « fit virtute veritatis; » nostrae etenim fidei veritas valde evidenter apparebat. Unde Propheticum illud verificabatur oraculum, *Psal.* xci, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, huic quoque jungebatur legis, quae annuntiabatur intemerata sanctitas, Psal.* xvii, 8 : *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.* Valde etiam efficax ad credendum motivum erat omnium Praedicatorum Apostolicorum mutua inter se unio et concordia, exemplaritas item et heroicarum virtutum, quae in illis eminebant, specimina, et specialiter unitas dogmatum, quae omni in loco praedicebant, denique sanguinis, qui passim ab innumeris effundebatur fidelibus, ad ejusdem, quam annuntiabant, fidei veritatem testificandam.

15. — *Compelle, etc.*, id est, ut Dionysius Carthusianus explicat : « Quasi importune, et per « comminationes damnationis aeternae instiga illos, « ut convertantur, prout ait Apostolus : *Prædica « verbum opportune, etc. Argue, obsecra, increpa, « etc.* » S. Bonaventura pariter sic exponit : « *Com- « pelle* comminatione aeternorum suppliciorum et « ostensione praesentium. »

16. — Theophylactus a Glossa citatus, eos, qui ad coenam invitati erant, pauperes et egenos fuisse considerans, hoc inde elicit salutarem monitum : « Docet nos parabola haec simplicibus, pauperibus, « et debilibus potius, quam divitibus dandum; « discimus et aliud, debere nos esse alacres et « liberales ad pauperum susceptionem, atque etiam « ita nolentes cogamus eos ut participes fiant bonorum nostrorum. » Discipuli qui in Emmaus contendebant Salvatorem quem pauperem peregrinum esse existimabant, invitarent, ut se una cum ipsis manducando, reficeret : *Et coegerunt illum dicentes : Mane nobiscum, Domine.* Hujus autem hospitalitatis, eidem suavi quadam cum violentia exhibita fructus fuit, quia *cognoverunt eum.* Ubi S. Gregorius ait : « Ex quo nimirum exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solum « invitandi sunt, sed etiam trahendi. »

Ut impleatur domus mea.

17. — S. Bonaventura *Serm.* II in *hac Dom.* ait : « Domus Domini implebitur, quando ruinae Angelorum implebuntur. » *Psal.* cix, 6 : *Implebit*

ruinas; citatque S. Bernardum, qui animas ad beatam hanc coenam hisce verbis invitat : « Currite, « fratres, currite, nam non solum Angeli, sed ipse « Creator Angelorum vos expectat; nondum plena « est domus, adhuc expectantur, de quibus nuptiae « impleantur. »

18. — Albertus Magnus immensam Dei nostri ad communicandum bona sua aeterna aviditatem, his verbis ponderat : « Hoc totum studium, tota « cura est istius magni Patrisfamilias, ut bonis suis « non solus perfruat, sed multi. » *Psal.* LXXV, 5 : *Replebimur in bonis domus tuae.*

Additio.

a. — *Eci in vias et sepes, et compelle intrare.* Non hoc dicit quasi vocatione minuat libertas, solus enim haereticus hoc astruet, sed hoc loquendi methodo utitur, ut parabola metaphora retineatur. Sermo enim erat ad homines tanquam belluinos et sylvestres, et ideo ait quod more belluarum compellere debebat intrare in ovile Christi, illaesa eorum libertate; variis tamen mediis quidem compellit Deus, maxime tamen tribulationibus, quae nos angustent et mala cogant mutare itinera.

Versus 24.

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui invitati sunt, gustabit coenam meam.

Dico autem vobis.

1. — « Hoc est, » ait Albertus Magnus : « Ego qui « sum veritas hoc dico, unde alibi dicitur, quod « juravit. » *Ps.* xciv, 11 : *Quibus juravit in ira mea, si in requiem meam introibunt.*

Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.

2. — Non est hoc ita intelligendum, quasi nullus ex Judaismo futurus sit salvus, inquit Lyranus :

« Sed quia pauci comparative, sicut communi modo « loquendi dicitur : Nemo est in Ecclesia, vel in « foro, quando sunt ibi pauci. Paucissimi enim de « Judeis, » inquit Albertus Magnus, « gustaverunt, « ita quod numerum inter vocatos non fecerunt. »

3. — « Valde est tremenda sententia, » inquit Venerabilis Beda. « Ecce per se vocat, per Angelos « vocat, per pastores vocat, aliquando per mundi « hujus prospera vocat, aliquando per adversa; » at tandem concludit, hoc nobis saluberrimum monitum tradens : « Nemo contemnat; ne, dum vocalus « excusat, cum voluerit intrare non valeat; » nam in Proverbiis, I, 23, dicit : *Vocavi et remisistis, ego quoque in interitu vestro videbo.* Multi sunt adeo impii homines qui nonnumquam ad tantam perveniunt impudentiam, ut etiam ipsas res fidei in ludibrio habeant, rideantque illos, qui in timore Dei integerrime vivunt; in eodem quoque Proverbiorum capite Deus protestatur, dicens : *Tunc invocabunt me, et ego non exaudivi, mane consurgent, et non invenient me.* Stultae virgines Evangelicae, magna quidem cum instantia et contentione precum, ad nuptias admitti rogabant, sed dictum illis fuit : *Nescio vos, osiumque reperitur firmiter obse-ratum : Clausa est janua. Matth.*, xxv, 10.

4. — Unum ex atrocioribus tormentis, quae damnatis inferenda sunt, erit non solum poenarum infernalium atrocitas et aeternitas, sed quod ab hac caelestis gloriae coena semper exclusi remanebunt, quam poenam Isaïas, lxxv, 13, hisce verbis praedixit : *Ecce servi mei comedent et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitiatis; ecce servi mei lababuntur, et vos confundemini.* De isdem quoque David, *Psal.* lxxvii, 7, scribit : *Fames patientur ut oves.* De facto jam clapsi sunt anni mille sexcenti et amplius, a quibus dives epulo unicam duntaxat suspirat aquae stillulam, quam tamen in aeternum non obtinebit.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCÆ, CAP. XV, VERS. 1.

1. Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores, ut audirent illum.
2. Et murmurabant Pharisei et Scribae, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.
3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens :
4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : et si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam ?
5. Et cum invenierit eam, imponit in humeros suos, gaudens.
6. Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quae perierat ?

7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent penitentia?

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quærit diligenter, donec inveniat?

9. Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore penitentiam agente.

VERSUS 1.

Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores, ut audirent illum.

Erant appropinquantes.

1. — Ex quo, ut habet, axioma a Spiritu Sancto Psalmistæ dictatum, *Psal. cxviii, 158, Longe est ut peccatoribus salus, quomodo igitur S. Lucas asserere potuit: Erant appropinquantes, etc.?*

2. — Salmeron super hæc verba, ita respondet: « Ad Jesum accedere, non est peccatoris, ut talis est, quemadmodum nec tenerarum est accedere ad lumen, vel infirmitatis ad salutem. » Prius Deus peccatori, per gratiam excitantem et auxilia sua, appropinquat, ut peccator ad ipsum appropinquare possit: « Quod ergo venirent ad Jesum, Dei « trahens erat, qui bonam naturam et a se conditam, per spirituales quamdam suavitates et internam dulcedinem juvantibus Angelis et ipsa « lenocinante humanitate, ad Jesum invitabat. »

3. — In libro Judith, viii, 21, dicitur: *Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum. Quis obsecro adeo futurus fuisset presumptuosus et arrogans, ut Deo irato millensique modis a nobis offenso auderet appropinquare? maxime cum de ipso legamus, Job., xxi, 14: Circa cardines cæli perambulavit; ut igitur peccatoribus facile esset peccatorum suorum accipere veniam, disposuit, ut appropinquemus ad ipsum, ad Sacerdotes, qui ipsum representant, appropinquando. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cælum? Ad hoc enim non adstringimur: Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo. Etenim Deus noster per peccatorum veniam vicinissimus nobis est et proxime adstat; in corde quidem, per viam contritionis, in ore vero per confessionem sacramentalem: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Rom., xxx, 10.*

4. — Hugo Cardinalis ait: « Appropinquantibus autem Christo, corde et corpore, veniam postulando, appropinquat et ipse, gratiam infundendo. » Lyranus hanc approximationem fieri dicit, per conceptum a peccatore, emendationis et respicientiæ propositum: « Ex proposito emendationis vite. » Salmeron ait: « Appropinquabant

« peccatores Deo per penitentiam et Christum eis « appropinquabat per gratiam. » Lucas Brugensis monet, ne quispiam sibi persuadeat publicanos et peccatores ad Salvatorem appropinquasse, veluti ad vitorum et scelerum suorum fautorem: « Non « accesserunt ad Jesum, ut ad fautorem scelerum « ac peccatorum suorum, sed ut ægroti ad medicum, ut sanarentur. »

5. — S. Augustinus illos ad Salvatorem, per ejus imitationem et similitudinem appropinquasse dicit: « Propinquare illi, est similem illi fieri, « recedere ab eo, dissimilem illi fieri. »

Ei.

6. — Peccatores sub tenebris in abyssum inferni abeunt; peccata enim per tenebras figurantur: *Abjiciamus opera tenebrarum; ad hæc autem tenebras depellendas, necessarium est, appropinquare ad lucem illam, quæ est lux vera, quæ illuminat omnem hominem; ac proinde saluberrime David, Psal. xxxiii, 6, monebat: Accedite ad eum et illuminamini et facies vestra non confundentur.*

7. — S. Jacobus Apostolus hoc quoque nobis suggerit consilium, *Jacob, iv, 8: Appropinquate Deo et ipse appropinquabit vobis; quisnam autem in hac appropinquatione modus observandus sit, immediate post declarat, dum ait: Emundate manus peccatores, et purificate corda; et quidem vox corda, hoc loco non vacat mysterio, siquidem necessum est, ut per dolorem et contritionem internam, a nobis emundetur conscientia; unde olim de quibusdam populi sui conquerebatur, per os Isaie, xxx, 13, ita dicens: Appropinquat populus iste ore suo, cor autem ejus longe est a me. In Zacharia, i, 3, legimus: Convertimini ad me et ego convertar ad vos.*

8. — Et quidem nos, qui sumus peccatores, in lege gratiæ hanc habemus præ cæteris veteris legis peccatoribus prerogativam, quod Christus suum de facto sanguinem fuderit, id quod illo tempore nondum factum fuerat et tamen, ut S. Hieronymus, *cap. ii ad Ephes.*, testatur: *Absque cruce Domini Jesu, nemo appropinquat Deo.*

Publicani et peccatores.

9. — Ecce tibi societatem et familiaritatem et comitatum, de quo singulariter sublimis ille Monarcha gloriatur, in cujus femore scriptum legitur

*Rex Regum et Dominus dominantium; qui in eo suam præcipue omnipotentiam manifestat, quod titiones inferni, in Seraphinos transmutet Paradisi, Isa., xliii, 20: Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones, id est, ut Lyranus exponit: « Illi qui « ante conversionem bestialiter et crudeliter vivebant. » Enormissimi peccatores tandem conversi, majus obsequium et gloriam attulerunt Deo, de quo nos cum Ecclesia Dei protestamur: « Deus, qui « omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas. » Et ideo Dei Filius, ut suum de morte, peccato et inferno gloriose reportatum triumphum, gloriosiore efficeret, magisque conspicuum, latronem quemdam conversum secum conducere voluit quem præ cunctis aliis regni sui participem efficit: *Hodie mecum eris in Paradiso; non conculecas Paradisum istius pietatis opere, « sed honorans, »* ait S. Augustinus, « et illustrans; « honor namque Paradisi est, talem habere Dominum, qui etiam latronem dignum facere possit « Paradiso deliciarum; » et ideo sceleratissimi peccatores, tandem ad penitentiam reducti, regni ejus principes atque magnates existunt.*

10. — Sciendum quoque est, quod Christus in hoc eodem capite, præter duas parabolas Pastoris et mulieris, drachmam suam amittentis, aliam quoque tertio loco de filio prodigo adiciat, idque, ut S. Ambrosius advertit: « Ut triplici remedio provocati, vulnera nostra curemus, Deus Pater, Christus Pastor, mulier Ecclesia. Christus suo corpore « vehit, qui tua in se peccata suscepit; quærit te « Ecclesia; recipit Pater. »

Ut audirent illum.

11. — Ecce tibi finem, quem habuere, qui sequebantur Christum, nimirum ut aures et multo magis cor divinæ ejus voci, divinisque inspirationibus aperirent, non enim sequebantur illum ad continentandam culpam, sed ad consequendam veniam: « Non ob curiositatem alendam, ut multi, » inquit Salmeron, « nec ob malitiam, ut caperent eum in « sermone, quemadmodum Pharisei, sed ut audirent ad salutem; » quem proinde finem adeo rectum Cajetanus in hominibus, antea impiis et sceleratis, maxime opte admiratur: « Sanctus finis, » inquit, « impertiendus omnibus. »

12. — Valde admirandos, in ordine ad impiorum conversionem verbi Dei, in sacra Scriptura legimus effectus. Psalmista inquit, *Psal. cvi, 20: Misit verbum, et sanavit eos; eripuit eos de interitibus eorum, et apud Jeremiam, xxiii, 29, Deus dicit: Nonne verba mea quasi ignis sunt et quasi malleus conterens petrus? Famosa est illa Poetarum fabula, in qua refertur, quod Amphion harmoniæ suavitate, ad edificandam Thebarum mœnia, ligna, silices et marmora, post se traxerit; sed solidior longe est veritas ista Catholica, qua civitatem Dei ex lapidi-*

bus, id est, animabus, lapidis instar in peccatis suis induratis, demum vero in virtute vocis Dei ad penitentiam reductis, edificatam esse novimus: « Constituitur in cœlis viris ex lapidibus, » canit de cœlesti Jerosolyma sancta Mater Ecclesia. Et S. Petrus ait ad Christum: *Verba vita æterna habes, quod liquido satis in hisce visum est verum esse Publicanis, siquidem hi in unico momento, ad unicam Christi vocem transmutati sunt in Apostolos, Matth., ix, 9: Vidit hominem sedentem in telonio et ait illi: Sequere me, et surgens secutus est eum. Similiter alius ille Publicanorum princeps, ejusdem Christi vocem vix audierat, dicens: Descende, cum ecce repente factus est sanctus, non solum ipse, sed et universa familia ejus: Hodie huic domui salus a Deo facta est, venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Luc., xix, 9.*

Additiones.

a. — *Erant appropinquantes ei Publicani et peccatores, ut audirent illum.* Clare hic Dominus ostendit adventus sui finem, qui juxta Apostolum erat peccatores salvos facere. Ideo namque cum tanta patientia et longanimitate illos expectat, æternæ condemnationis executionem suspendendo, multaque auxilia et gratias conferendo. Nulla dari potest divinæ erga nos beneficiæ major et evidenter demonstratio, quam si Deus nos, postquam illum mortaliter offendimus, a ponarum infernalium æternitate eximat. Ac proinde David adulteri et homicidii a se commissi memor, vidensque se ab imminenti æternæ perditionis supplicio præservatum, inquit, *Psal. xciii, 17: Nisi quia Dominus adjovit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Enimvero ut omnes theologi docent, in eodem momento quo anima mortaliter culpæ rea constituitur, gratiam et amicitiam Dei amittit, tanquam exul a cœlo proscribitur, omnium meritorum et bonorum operum postea jacturam, velut mancipium dæmoni subjicitur, et ad ignem sempiternum condemnatur; quæ sententia a spiritibus rebellibus utique, sine ulla dilatione executioni mandaretur. Sed quis est qui pro hujus gravissimi supplicii executione suspendenda se interponit? Idem ille qui utpote injuriatus et offensus, idem supplicium quam maxime deberet accelerare. Et tamen Psalmista ait: *Nisi quia Dominus adjovit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Ille inquam, Dominus, cui postea dicit: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Deus ab hoc vermiculo, ab hoc ex luto formato homine injuriatur et offenditur, et tamen pro nobis ab inferno eximendis se interponit. Unde idem David aibi ait: *De abyssis terræ reduxisti me.* Quia quando animam suam ad inferno conquinaverat, jam de facto, uno quasi pedo, in inferno constitutus erat, unde illum Deus eripuit, potentis et efficaci gratiæ manum ei porrigendo:

« Ego te offendebam, » inquit S. Augustinus, « et tu « me defendebas; inimico meo me exhibebas, et « tu ipsum me me arripere deterebas. Quoties ego « peccavi et ille stabat paratus ut me raperet? » Quot animæ justo Dei iudicio in barathrum delapsæ inextinguibiliter ardent, ob unicum duntaxat culpam mortalem commissam, et tamen *is qui bene omnia fecit, et qui omnia quæ fecit, in vero iudicio facit*, tot mensibus et annis me innumeris peccatis onustum æquanimiter sustinuit, et in statum salutis perduxit? S. Bonaventura fidelem quendam animam his verbis alloquitur : « Heu quanto tempore « te in peccatis tuis toleravit; et quot et quantos « ante tuam conversionem in peccatis damnavit, et « te semper peccantem misericorditer expectavit? » S. Antoninus inquit : « Ab interitu infernali redimit « Deus hominem toties quoties mortale remisit. » Deus beate Mechilidi quondam dixit : « Bonum est « homini, bonum est, ut sæpe recogitet quam bene « de ipso cogitaverim, quamque amanter illum « respexerim, etiam cum in peccatis jaeret, et « quam benigne mala ejus in bonum converte- « rim. » Imo non tuis solum, demonio, totique inferno, ne nostram ream Deoque rebellem animam deglutiat, se opponit Deus, sed insuper refrenat omnesque continet creaturas, ne impios nostros, in Creatorem factos, vindicent insultos. « Cum ergo « te Deum omnium Creatorem offendi, » ait S. Augustinus, *Medit.*, « omni creaturam quan- « tum spectat ad meritum meum, in iram commovi, « ita ut merito pro te pugnaret adversum me totus « orbis ferarum. Posset enim terra dicere mihi : « Non debeo te sustinere, sed potius absorbere, « quoniam a Creatore meo non timuisti peccando « recedere, et inimico, scilicet diabolo adherere. « Posset dicere sol : Non debeo tibi ad salutem « lucere, sed ad vindictam Domini mei qui est « lux et fons luminis, penitus tibi radios meos « abscondere. Sic etiam cuncta quæque creatura « ad ulciscendum tantam injuriam sui Creatoris, « nisi impetum cohiberet ipse qui eas condidit. »

b. — Cum taurus, carcere quo detinetur, solutus, in forum, vel in arenam vi maxima erumpit, nemo propius accedere audeat; qui vero prope taurum sunt retroque tauri cœpit, statim maximo terribi pavore fugiunt, in vallumque seu quæcumque alia receptacula se conjiciunt, ut vim incendit tauri devitare possint. Verum si postea taurus curri fortiter astringatur, vel jugo subjiciatur, quilibet impune cominus accedit, ut vel etiam puer cornu audeat tenere. Hoc igitur modo, in lege veteri, nemo Deo appropinquare audebat, nam, quasi taurus ferus, temere accidentem interficiebat. Accessit ad Deum Oza, arcamque tetigit et statim interit. Verum posteaquam amore victus, se humanitati tradidit, naturæque humanæ jugum subit, hominum charitate devictus, tanquam agnus mansuetus

factus est, adeo ut publicanos, peccatores, meretrices, latrones, claudos, cæcos et paralyticos, leprosos et mendicos, cæteramque miserorum hominum turbam, facillimo animo accipiat, summoque amore complectatur. Neminem Filius Dei rejicit, nullius plage, aut miserie, illi naseam movere possunt, sed cum sit summa bonitas et munditia, facili, alacrique vultu, luxuriosos et abominabiles peccatores accipit, qui ab eo, non modo morte, aut aliquo supplicio non afficiuntur, verum vitam consequuntur. Sic summum zelum pium Redemptor circa salutem animarum demonstrat.

e. — Quanti Deus animas nostras etiam peccatis immersas fecerit, ex hoc patet textu, quando tam amice ac familiariter agit cum ipsis peccatoribus. Patet hinc, quanta cura et custodia Deus animam prosequatur, quantoque gaudio ob salutem ejus perfundatur.

S. Chrysostomus, *Hom. xc in Math.*, hanc quam Deus gerit pro anima sollicitudinem sequentibus, paucis quidem, sed gravibus verbis exponit dicens : « Tanto studio, tantaque cura Deus dignam esse « animam ostendit, ut neque Filio suo pepercit : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigeni- « tum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, « sed habeat vitam æternam. » Dicitur de cura et labore, quo Deus animam hominis quesivit, S. Bernardinus, *Serm. 11*, in hæc verba scribit : « O « quanto labore et quanto ferventi amore quesivit « animam amerosus Jesus! Virginitatem vero vix egres- « sus est, et dilectam animam more infantium « vocat A, A, A, id est, anima mea, anima mea, « anima te quero. »

S. Matthæus parabolam illam refert de Rege qui preparavit nuptias filii sui, ad quas inter multos qui ad easdem convenerant, presumptuosus ille qui, sine veste nuptiali, nuptiale triclinium ingredi presumpserat, ad ignem condemnatus fuit : *Mittite eum in tenebras exteriores*. Quo facto sapientissimus Magister noster parabolam illam in his verbis concludit : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Circa quæ verba merito inquirendum venit, quomodo intelligenda, cum enim unus tantum convivam condemnatus fuerit, cæteris omnibus mensæ imperturbato animo accumbentibus, contrarium potius dicendum fuisse videtur, scilicet : *Multi electi, non vero pauci electi*, siquidem ex multis unus tantum perit? Ad quam difficultatem alia nequit dari responsio, quam quod Deus, unus duntaxat animæ salutem tanto in pretio et estimatione habeat, ut dum illam perdit, innumeras perdidisse se arbitretur. Unde S. Augustinus, *Serm. de Nupt.*, ait : « Certe unus erat ille, qui non habebat « vestem nuptialem; quare dicit : *Multi sunt vocati, « pauci vero electi*? Quia in unius perditione sic « afficitur, quasi multos perderet. » Quod si nonnullas in Scripturis sacris recensitas rerum gestarum

historias examinemus, videbimus utique Deum non minus de animarum jactura dolere et trisleri, quam de ipsarum lucro et salute gaudere. S. Bernardinus hæc de re ita scribit : « Vir sapiens non ingemiscit « propter parvæ rei amissionem; magna profecto « est, propter quam Dei Sapientia plorat. Sed quia « Deus plorare non potest, assumpsit humanam « naturam, ut plorare possit. Semper dum in mor- « tali corpore fuit, doluit super culpis animæ nostræ « et pro ejus curatione suspiravit ad Patrem. » Similiter dum ex eminenti quodam loco Jerosolymam in die Palmarum prospexit, amarissime flevit : *Videns civitatem, flevit super illam*; idque non tam ob desolationem et exterminium murorum, sive monium, siquidem integros mundos unico tantum verbulo in unico momento creare prævalebat, sed potius : « Hæc civitas animam mystice præfiguratur, « et de illa Propheta inquit : *Gloriosa dicta sunt de « te civitas Dei*. Videns igitur hanc civitatem obsti- « natam in sceleribus et surdam, ex compassione « flevit. Multi et magni thesauri in mari, et alibi « amissi sunt, milleque civitates combustæ sunt « atque destructæ et tamen non legimus pro eis « Christum flevisse, sed pro anima tantum. »

d. — Nescio num vos aliquando ad id reflexeritis, quod Redemptor noster ait, dum semetipsum grano frumenti comparavit, dicens : *Nisi granum frumenti cadens in terram morbuum fuerit, ipsum solum manet*. Hoc enim granum, ipsismet Dei Filium significat, qui frumentum electorum dicitur. Hoc granum frumenti, ab æterno in sinu paterno, seu potius in Cælorum granario reconditum fuit, donec veniret hora qua ad electorum utilitatem in terram descendens in terra virginali seminatum, seu plantatum fuit. Id vero quod vel maxime admirandum venit, sunt verba illa : *Ipsum solum manet*; quasi diceret : *Quamdiu granum istud de cælo non descendit, se solum in cælo empyreo degere arbitrabatur. Sed quomodo solum in cælo manet? Numquid tribus in novem choros distinctis hierarchiis quaquaversum cinctum erat? Numquid cum ipso millionum innumerabilium Principatum, Dominationum, Seraphinorum, Cherubinorum, omniumque aliorum infinitorum spirituum angelicorum cum ipso in cælis regnabant? Pro hujus mysterii intelligentia, in memoriam revocanda est parabola illa qua Salvator ipsemet de pastore proponit, qui nonaginta novem oves in deserto reliquit et vestigia insecutus est ovis errabundæ, quæ hominem peccatorem significabat. Scitisne causam ob quam id fecerit? Nimirum quia hominem in comparatione naturæ Angelicæ longe pluris æstimat, imo tantum illum facit ut animam humanam inter delicias suas recenset : *Delicia mea esse cum filiis hominum*. Innumerabiles Thronos, Principatus, Virtutes et Dominationes, Cherubinorum et Seraphinorum exercitus, in perpetuæ punitionis barathrum præcipitari permisit,*

nec quicquam se pro eorum redemptione movit; non vero eodem modo animam perire permisit, quin potius dum etiamnum vix adhuc perditæ esset, quod in manducatione pomi velti contigit, in eodem fere momento *ambulabat ad curam post meridiem*. Quoniam putas fine id fecit? Quia, « Ipse « lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. » Unde pluris æstimare videtur unicum solam animam, in eaque sibi complacere magis quam in omnibus Angelis simul et collective sumptis, siquidem sine animabus redemptis, Paradisum triumphantem ingredi noluit.

e. — Optime sciebat Dominus Jesus quod Scribæ et Pharisei de ipso murmurabant, observantes enim, eo quod Publicanis et peccatoribus se ita amice abere præberet; tamen ob hæc calumniam ab opere charitatis non desistebat Dominus, tales peccatores recipiens, et admittens in sui societatem et colloquium, ut eos ad penitentiam invitaret, attendens magis hominum salutem, quam sui nominis claritatem, ad nostrum exemplum, ut calumnias fortiter et patienter feramus; magnum siquidem eorum est meritum.

Salvator noster de semetipso ait : *Ego sum via, et ideo errare aut deviare a cælo non possumus, quoadusque viatores ad tanquam celestem patriam properamus, pro Christi vestigia et semitas, progressi fuerimus*. S. Augustinus, super illa verba : *Non calumniatur me superbi, de cruce Redemptoris nostri dicit* : « Hanc intuentem salutiferam crucem, « omne calumniantium superiorum virus expelli- « mus. » Christus enim, quoadusque nobiscum hic in terris vixit, et præcipue in passione et morte sua falsis calumniis et accusationibus impetitus raro se defendit, adeo ut ejus hæc in re taciturnitas Pilatum in non modicam rapuerit admirationem : *Et non respondit ei verbum, ita ut miraretur Præses vehementer*. Aperte namque illa de quibus Hebræi eum accusabant, evidentem in se falsitatem continere videbat, a quibus se proinde facillimo negotio purgare poterat. S. Paschasius ait : « Mirabatur « constantiam ejus; fortior namque erat in eo « virtus, quam humana natura in se habeat, et ideo « poterat non solum admirari Pilatus, verum etiam « vehementer, quoniam taceret, sine ulla defen- « sione sua. »

Tertullianus proinde suam Hebraismo improprietate cæcitatem, siquidem ex hac tolerantia ipsum vere Deum esse agnoscere poterat : « Hinc maxime, « Pharisei, Dominum cognoscere debuitis; patien- « tiam hujusmodi nemo hominum perpetrat. »

f. — Ecce tibi societatem, famulitium et comitatum de quo singulariter sublimis ille Monarcha gloriatur, in cujus femore scriptum est : *Rex regum et Dominus dominantium. Erant opproprinquantes ad Jesum Publicani et peccatores*. Siquidem in eo suam præcipue omnipotentiam manifestat, quod titiones

inferni, in Seraphinis transmutet Paradisi. Ad quam conversionem valde admirandos Verbum Dei lectum habet effectus. Sed non loquitur hodie Deus nobis ore ad os; loquitur per sacram Scripturam, aut per alios libros spirituales, quorum lectio est quasi instrumentum aeternae nostrae salutis. Ille ipse qui dixit: *Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur*, nos in transitu ad vitam beatam securissimum in libris sacris, eorumque studio et lectione saluum conductum habere insinuat, dum ait: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere*. Unde S. Chrysostomus quoque inquit: « Scripturarum lectio, caelorum est reseratio. » S. Bonaventura in sermone quodam, in sacris Litteris quantumvis forinsecus aridae appareant, vitam tamen gratiae latere ostendit, dicens: « Sacramenta Scripturae quae exterius videntur arida, intus sunt viva; et hoc dixit Salvator « Judeis: *Scrutamini Scripturas, in quibus vos « putatis vitam aeternam habere*. Nulla alia scriptura « vitam dat nisi haec, unde Psalmista ait: *Vivifica « me secundum eloquium tuum*. » Idem quoque Seraphicus Doctor, in progressu ejusdem sermonis alterius declarat sacram Scripturam, quatuor praecipue ob fines, a divina Providentia esse concessam, ex quibus ultimus praesenti proposito nostro apte deservit. In verba Seraphici Doctoris: « Primo, ad « gratiam commendandam. Secundo, ad introdu- « cendam fidem. Tertio, ad reserandam sapientiam. « Quarto, ad restaurandam salutem, quae in illa « solummodo est et in nulla alia scientia est salus. » Enimvero omnes alii libri, cunctaque scientiae naturales intellectum quidem pascent, in auribus quoque et professionibus variis oeconomicis, politicis, historicis, moralibus, astrologicis, aliisque similibus nos erudiunt. At vero sola sacra Scriptura inter omnes alios libros dux nobis est et magistra ad vitam immortalem et beatam; et ideo Seraphicus Doctor inquit: « In nulla alia scientia est salus. » Praesens haec vita nostra quoddam est a caelesti patria exilium, in quo viatores sumus. Unde a via recta facile declinare possemus, nisi securum viae duce habere: talis autem est lectio spiritualis. Nam ut S. Isidorus ait: « Lectio docet quid caveas; « lectio ostendit quo tendas. » Anima nostra ad gloriam caelestem creata, aliud nequit habere obstaculum, quoniam illam ingrediatur quam cul- pam, quia non introbit in eam aliquid co inquinatum; per Scripturas autem, a nobis attente lectas et practicas, ab omni nave mundamur; unde S. Augustinus in quodam sermone ait: « Labor honestus est lectionis, et multis ad emundationem « animi proficit. »

VERSUS 2.

Et murmurabant Pharisei et Scribae, dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.

Et murmurabant Pharisei.

1. — Pharisei, totius universitatis populi Dei melior pars erant, ad eum fere modum, quomodo inter nos religiosi, maxime reformati, esse solent; et tamen murmuratores facti sunt et quidem quod maxime in iis reprehensibile erat, adversus eum, qui verus Dei Filius erat, murmurabant: *Posuerunt in calum os suum; quia sanctissimum illius opus calumniabantur, quale erat, animas errabundas in statum salutis reducere: « Tanta hujus mali libido « mentes hominum invasit, » scribit ad Celantiam S. Hieronymus, « ut etiam qui procal ab aliis vitis « recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum « diaboli laqueum incidant. » De quibus proinde Chrysologus quoque, *Serm. cxviii*, dicit, quod fecerint: « Non minus invidi, quam superbi, » et quidem utraque haec passio adeo eos excecabat, ut intelligere nequiverint, quod murmur illorum simile fuerit, ac si quis murmuraret contra medicum, quod visitet infirmum; vel adversus divitem, eo quod subveniat pauperi et egeno: « Malitiam de Domini « bonitate capiebant, de pietate Dei impie redde- « bantur, fiebant de Christi miseratione cunctae, « sumebant de caelesti curatione languorem et « penitentium veniam vertebant Judicis in rea- « tum. » S. Bonaventura malis proprium esse dicit, quod per operum honorum ab aliis patratorem conspectum, crescat eorum malitia: « Mos est im- « piis impietatem suam augere de visis operibus « pietatis. »*

2. — Lucas Bruggensis hanc murmuracionem apud populum, qui Christum sequebatur, clam contra eundem factam esse dicit: « Id reprehensibile debant, quod laudare oportebat et gratulari peccatoribus penitentiam. » Didacus Stella eorum, qui in dignitate positi sunt, proprium esse observat, quod scopus sint, in quem aliorum murmuraciones collimant, adducitque pulchram S. Hieronymi in prologo libri Job auctoritatem, dicentis: *Nullus utique contra me murmuraturus esset: « Si fiscal- « lam junco texerem, aut palmarum folia compli- « carem, sed qui munera ardua exercent, multorum « detracionibus sunt obnoxii. »*

3. — Observat S. Ambrosius, *lib. V in c. vi Luc.*, benignissimum Salvatorem pati potius voluisse, ut pharisaica malitia sinistrum de se illis conceptum imprimeret, quam ut ipsemet a beneficiando et peccatoribus recipiendis desisteret: « Periclitari « magis iudicium quam affectum voluit. »

4. — Chrysologus, *Serm. clxviii*, superciliosus et passionatis hisce Pharisaeis, ipsorum improperat ignoranciam et caecitatem; dicit enim: « Phariseus,

« non quales venerant, sed quales redibant, videre « debuit; certe Paulum, quem persecutorem mise- « rant, praedictorem vident mox rediisse; recipit « peccatores Deus, sed Deus peccatores esse non « sinit, quos recipit; peccator Deum non violat « appropinquans; Deus peccatores sanctificat; » facile decipimur murmurando de rebus vel factis, quae pondere sanctuarii trutinata, opera videntur esse virtuosa et meritoria, cui accedit alia ejusdem nervosi Doctoris in alio quodam sermone expressa sententia, dicentis: « Quo medicus nisi ad aegro- « tum? Ubi Evangelicus pastor, nisi ad ovem per- « ditam? Qui pretiosam perdidit margaritam, loca « squalida non deditur intrare. »

Quia hic peccatores recipit.

5. — S. Bonaventura ait: « Ad affabilitatem « colloqui et familiaritatem convivii; in quo vole- « bant ipsum redarguere, tanquam fautorem malo- « rum et contemptorem praecceptorum. »

6. — Salmeron distinguendo ostendit, quoniam modo cum impiis licite quis conversari valeat, nimirum non ut illos in peccatis foveat, nec cum periculo coinquinationis, qua ab eadem ipsorum pie inficiantur, hoc enim idem esset, ac si ab infirmo, qui curandus erat, ejusdem contrahatur infirmitatis contagium; multo minus cum illis conversari quis potest, qui ab illis grave patitur scandalum: « At vero cum talis quis est, ut non polluitur « macula aliena, sed potius id agit, ut a macula « contracta purget, et sine scandalo, profecto bene « facit et charitatem Evangelicam proficitur. » Sciendum tamen est, nequaquam convenire, ut quis se periculo exponat, qui minime radiceus est in virtutum praxi et studio. Deus quidem populi sui malitiam penitissime cognoscebat, dum Ezechielem, *iii, 7*, ad illius correctionem submitteret; verumtamen eidem Propheta dixit: *Domus Israel attrita fronte est, ecce dedi faciem tuam valentiorum faciebus eorum*. Sic quoque Jeremias, *xv, 19*, quem, ut conversando cum illis, eosdem converteret, ipsemet miserat, omnem perversionis et corruptelae suae metum deponere jussit, dicendo: *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos*. Aristippus ab antiquis philosophis, quod in domibus hominum divitum et opulentorum, crebro nimis videretur, objurgatus, medicis domus illas creberrime visitandas esse respondit, in quibus languent infirmi, tametsi illas sine ullo contagione contrahende periculo visitent, etenim qui virtute et vite perfectione conspicui sunt, cujus modi illi esse debent, quibus animas ad penitentiam revocare ex officio incumbit, extra omne positi sunt perversionis periculum, eo quod Deus illis tanquam protector potens adstet.

7. — Ex hoc, inquit Cajetanus: « Magna Jesu « comitas relata ad fructum verbi divini significa- « tur; » egregius namque fructus, quem Christus

ex praedicatione sua reportavit, fuit peccatorum conversorum et penitentium ad eum confluentium et ab ipso perbenigne recepta turba.

8. — Inter alias causas, ob quas Redemptor potius ad Crucem affigi, quam aliud supplicium subire elegerit, una haec est, ut scilicet brachia sua ad peccatores expiendos et amplectendos extensa et late quondam haberet, nobisque per hoc insinaret, quod: *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat*; super quae verba Isaia, *lv, 1*, Oleaster ita scribit: « Quae enim major potest esse « misericordia, quam manum semper extensam « habere ad levandum et dandum? » et quidem clavis in cruce sufflgi voluit, ut illas ad nos recipiendos et amplectendos semper haberet extensas et apertas, easque utpote inclavatas, nunquam posset claudere.

Et manducat cum illis.

9. — Chrysologus, *Serm. l*, hic ait: « Venit ad « convivium vita, ut secum faceret convivere mor- « tuos; » porro Redemptor noster post duas haec parabolas, aliam protinus subintroxit de filio prodigo, qui a parente peramanter susceptus, lauto insuper convivio honoratus fuit: *Occidite vitulum saginatum*. S. Bernardus, *Serm. xi in Cont.*, proinde ait: « Cibus ejus, penitentia mea. » Quando Apostoli Christus in conversione Samaritanas peccatrici laboranti, prandium in urbe Samariae coemptum attulerunt, ipse manducare fastidiosus se excusavit, dicendo, *Joan., iv, 32: Cibum habeo manducare, quem vos nescitis*; ubi D. Chrysostomus ait: « Homi- « num salutem hic cibum vocavit, ostendens quan- « tum desiderium habeat nostrae salutis, sicut enim « nobis concupiscibile est comedere, ita ei salvare « nos, » ac proinde nulla potuissent Christo apponi ferula delicatior aut lautior, quam illa, quae eidem a Publicanis apparabantur. Unde Didacus Stella, tractans de Simone Pharisaeo, qui Christum commensalem suum habebat, ita scribit: « Phari- « saeus invitavit Christum, sed ecce mulier stetit ad « pasendum et epulandum Christum; » sed dices fortasse, ubi ergo sunt missus et ferula? ubi cibi invenientur a Magdalena allati? nimirum: *Lacry- « mis coxit rigare pedes ejus*; haec erant paradisi nectar et ambrosia, quam gustabat: « Neque enim accu- « buit pocula saporata melle, floribus odorata « sumpturus, » inquit Chrysologus, *Serm. xcii*, « sed penitentis lacrymas ex ipsis oculorum fon- « tibus potaturus; Deus delinquentium gemitus « esurit, sicut lacrymas peccatorum. » Albertus Magnus super haec verba scribens, illum Psalmistae, *Psal. xli, 5*, textum adducit: *In voce exultationis et confessionis sonus epulantis*; quem ad propositum nostrum adaptans, subjungit: « Qui exultat in con- « versione et penitentia peccatoris. »

Additiones.

a. — *Et murmurabant Pharisei et Scribæ, etc.* Nullum alium ob finem Pharisei dicebant de Jesu: *Quis hic peccatores recipit et manducat cum illis, nisi ut Christo detraherent, eumque vituperarent, illumque ex hoc motivo verum Messiam non esse ostendere volebant; sed et contra se argumentabantur, et Christi gloriam augebant, nam Scriptura pluribus in locis hanc veram Messie notam futuram indicat, quod peccatores recipiat; sic contingit ut detractor nulli amplius inferant damnum quam sibi ipsis.* Ecclesiasticus, xxi, 31, ait: *Susurro cingunt animam suam, et in omnibus odietur.* Per hanc susurratorem sacri Interpretes detractorem intelligunt occultum. Hugo Cardinalis inquit: « Id est, occultus detractor. » Dionysius Carthusianus scribit: « Id est, murmurator seu silens detractor, susurrans in aure alterius; » qui dum suis maledictis obfuscare nititur alienæ candorem famæ, suam ipsemet denigrat, contaminatque animam. « Ex tenerima Maria Prophetisse lepra, » inquit S. Ephrem, « docemur quam grave, ac detestabile vitium sit obtractio. Corpus enim quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patet factum est, quomodo hominis detractoris cor rumpatur anima. » S. Augustinus ad eandem murmuratorem penam sese reflectens ait: « Sicut lepra corpus proprium deorat et sibi adherentes inficit, sic et murmurator non solum seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit et perimit. » S. Franciscus dicere assolebat: « Detractores sunt de generatione Cham, qui verenda patris non operuit, sed discooperuit, propter quod Dei maledictionem merebuntur. » Eusebius Gallicanus inquit: « Qui detrahit eradicabitur, id est, a radice sua, qui Christus est, evellatur. » Peccatum quod alter incurrit operando, tum facis obloquendo. »

b. — *Et murmurabant Pharisei.* O stulti et tardi corde ad credendum! Cur murmuratis quia Christus peccatores recipit, nisi quia impotes iudicii estis, nescientes penitentia et lacrymarum virtutem? Ignorat nemo gravissimum peccatorum onus, sub quo genitæ Evangelice Publicanus, fex quodammodo abominabilis peccatorum omnium nihilominus, brevissimo temporis spatio sanctitatem assecutus, Phariseo integram jejuniarum, elemosynarum, orationum, aliorumque honorum operum seriem texenti, prepositus fuit: *Discedit hic justificatus in domum suam ab illo.* Cujus proinde in laudes sese diffundens S. Chrysostomus ait: « Crimenum accusatio facta est illi criminum remissio. Quot labores erant Publicano subeundi, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua

« egenis impertiendo, longo tempore in sacco et cinere sedendo, ut illa tam multa peccata posset deponere? » Nihilominus per cordis letum, id est, per interni doloris et penitentia actus, toto hoc onere indilate sese exoneravit: *Discedit justificatus.* Auscultemus S. Augustini resolutionem: « Penitentia vera, » inquit ille, « non annorum numero censetur, sed amaritudine animæ, quamvis sit exigui temporis; si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat. »

Percutiebat Publicanus pectus suam, qua actione, ut idem existimat Sanctus, cor suum veluti infamem traditorem castigare et affligere intendebat, ideoque mox subdit: « Tundere autem pectus, quid est, nisi arguere, quod latet in pectore et evidenti pulsu oculum castigare peccatum? » Diversum nihilominus ab eo hujus peccationis mysterium S. Zeno assignat, arbitrans Publicanum suum pugnis præcise cædisse pectus « a quo procedunt universa genera peccatorum, » conformiter illi Veritatis asserto: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia.* Omne peccatum influxum participat cordis et voluntatis: « Pectoris percussio, » inquit Cornelius Jansenius, « interioris pravitatis seria est redargutio. » Hugo Victorius assignat tria doloris genera, nulli non penitentia animæ necessaria: « Dolor cordis triplex, acer, acrior, acerrimus, » quorum unusquisque requiritur: « Acer quia Creatorem offendisti, cujus legem cum celestia et terrestria conservent, in tanta republica Dei, tu solus peregrinus es, imperatoris majestatis dexteram contemnens. Acrior, quia cum Creatore, patrem etiam ad iram provocasti, qui tibi ministrat siderum cursum et fructum ubertatem. Acerrimus, qui pertranseat animam, quod beneficium contempseris qui dolorem crucis sustinuit, ne dolorem amplius sustineres inferni. » Si crimen est proprium offendere patrem, quidam flagitium erit ipsum provocare Deum, Creatorem, Redemptorem et beneficentissimum patrem nostrum? qui, ut cum S. Augustino loquar, « sic curat unanquemque nostrum, tanquam nostrum solum curet. Deum qui te genuit derelinquisti, et oblitus es Domini Creatoris tui. »

c. — S. Mattheus, primo die quo pedem suum scholæ Christi intulit, lautissimum parvit convivium, ad illud, sicut antea solitus erat, suos convocando sodales, et vitæ prioris collegas; idque Christus non solum approbavit, verum etiam sua presentia decoravit. Quod Christus huic interfuerit convivio, ad hoc ipsum non allexerunt servitia mense, variis et delicatis epulis instructæ, et onustæ, adeo ut convivium magnum appellari meruerit, sed potius convivantium societas, qui ex potiori parte Publicani erant

et peccatores. « Nullum cibum lautiorum Christo appones, » inquit Paulus de Palatio, « quam Publicanos si convertantur; et ideo ea ratione convivium grande fuit, quia fuere Publicani convivæ. » *Meus cibus est,* ait Dominus, *ut faciam voluntatem Patris.* Est autem voluntas Patris: Publicanorum et meretricum sanctificatio.

d. — Murmurabant Scribæ et Pharisei ad hanc Domini benignitatem, sed quare murmurabant? Glossa Interlinearis, ad illa verba: *Hic peccatores recipit,* sic habet: « Contrarius est legi, quæ hoc prohibet. » Sed tamen in lege veteri hoc esse prohibitum cum peccatoribus conversari, nullus locus assignabitur, in quo talis prohibitio extet. Sed obijciat hoc dictum Apostoli Pauli, I Cor., v, 15: *Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sume.* Sed si attenduntur rationes Apostoli non contrariabitur hæc prohibitio consuetudini Christi, et bene fecisse Christus, et præcepisse judicabitur Apostolus. Nam Christus conversatus est cum peccatoribus ut converteret, Apostolus vero hoc præcipit, ut peccatores tali pena afficiantur ac proinde in suorum delictorum supplicium ab eis fugiant; ad eundem modum, quod Ecclesia mandat excommunicatos vitare, maxime quando sunt manifesti, quia tunc sunt quæ scandalosus, qui omni modo sunt fugiendi; sunt enim causa ruine multorum. Mala scandalosorum exempla, laquei et retia sunt demonis, quibus animas deprædatur, quæque naturæ nostræ depravata: facillime imprimuntur.

Alias inter rationes cur astutus serpens ad depravandas animas malum potius exemplum quam quemcumque alium adhibeat laqueum et gluten, hæc assignatur principalis, quia nimirum optime novit depravatam corruptamque naturam nostram, magis ad malum quam ad bonum exemplum inclinari; in cujus probationem accommode subservit illa S. Hieronymi propositio, qua sanctus hic Doctor spirituales filiam suam Letam instruit in hæc verba: « Proclivis est malorum imitatio et quorum virtutes assequi nequeas, certe imitatis vitia. » Id quod etiam in naturalibus patet, siquidem mala herba et lolium naturaliter crescit; bonam vero cum industria et cultura producere necesse est. Quæ proinde veritas nec ipsos etiam gentiles latere potuit, reliquos inter ita discurrente Seneca: « Unum exemplum aut luxuria, aut avaritiæ multum mali facit; convictor delicatus paulatim enervat et emollit; vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes, quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit. »

e. — Publicani et Pharisei dicebant, ex invidia, de Christo: *Quia hic peccatores recipit,* ut hunc vituperarent, unde tamen maximam Christi glo-

riam publicabant. Hoc enim frequenter fit, quod Deus eorum qui aliorum invidia exagitantur, felicitates adaugeat. Divina justitia Heli castigare volens, ob nimiam erga sacrilegos alisque gravibus transgressionibus obnoxios filios indulgentiam, penam ei qua puniendus erat, prædixit dicens: *Videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel;* quasi dicere voluisset: hæc est justissimi furoris divini indoles quod majori felicitate cumulet æmulos, ut tanto magis augeatur acerbum invidi supplicium. Esau Jacob fratri suo invidet, eo quod ipsum a matre tenerius diligere videret, paternamque benedictionem præoccupando ei eripisset; ac proinde, dum fratrem ad mortem usque persequeretur, hic ad fugam capiendum, inque Mesopotamiam ad Laban peregrinandum coactus fuit. Deus autem ad invidiam hunc fratrem acerbum torquendum, Jacobum bonorum ingenti eumulo, aliisque prosperitatibus adauxit, adeo ut laudabiliter gloriosus fuerit, dicens: *In baculo meo transivi Jordanem istum et nunc cum duobus turmis regressor.*

VERSUS 3.

Et ait ad illos parabolam istam, dicens:

1. — Dominus noster, qui murmuratores illos acerrime increpare debuisset, et contra injuriam ab iis acceptam dissimulando, coelestem et salutarem suam doctrinam insidem communicavit: « Benignus » Magister, » inquit Albertus Magnus, « etiam in gratis inferens suas illuminationes, Joan., 1, 9: *Lux in tenebris lucet,* quando etiam tenebrosos illuminat. » Didacus Stella similiter ad bonitatem divinam sese reflectens, quæ bonum pro malo reddere voluit, similem habet considerationem, dum ait: « Diligenter considerandum, qualem, quantumque doctrinam Dominus noster Christus et Redemptor a Phariseorum murmuratibus elicuit, quo enim malitia humana magis crescit et augetur, eo divina misericordia effusus abundat. »

2. — Porro qualem Christus in hujus parabola propositione finem habuerit, Jansenius his verbis declarat, dum ait: « Ut intelligentes omnes, quanta cura peccatores sint ad respiciendum invitandi, « quantumque benignitate recipiendi, cum respiciunt. »

VERSUS 4.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?

Quis ex vobis homo.

1. — Hugo Cardinalis existimat, Christum, sapientissimum Magistrum nostrum, hanc parabola-

lam adduxisse in medium, non solum ut peccatores animaret ad penitentiam, verum etiam ut Pharisæorum fastum et superbiam reprimeret, utpote qui « dicentes, proximos errare, dedignabatur a « via erroris eos revocare. » Hos igitur hac parabola perstringit, in qua illis ostendit, quemam esse debeat boni pastoris erga commissum sibi gregem charitas et sollicitudo; siquidem is reliquum gregem dimittit, ut ovem perditam recuperaturus insequatur, eamque inventam et in humeros suos sublatam ad ovile perducit. « Qua similitudine ipsis « indicare voluit, » inquit Hugo, « quod longe magis ipsi debent proximos errantes revocare. »

2. — S. Bonaventura super illa verba: *Quis ex vobis, etc.*, dicit: « Homo iste inter homines est « Dei Filius, oves istius hominis sunt rationales « creature. »

Qui habet centum oves.

3. — Glossa in hoc numero centenario perfectionem agnoscit: « Deus centum oves, id est, perfectum numerum habuit, cum Angelorum et hominum substantiam creavit, sed una perit, quando « homo pasua vite peccando reliquit. » Similiter S. Gregorius ait: « Una ovis tunc perit, quando « homo peccando pasua vite reliquit; in deserto « autem nonaginta novem remanserant, quia rationalis creature numerus, Angelorum videlicet et « hominum, qui ad videndum Deus conditus erat, « pereunte homine erat imminutus; unde sequitur: *Nonne dimittit, etc.*, quia scilicet Angelorum « choros reliquit in celo. Tunc autem homo celum « deseruit, cum peccavit et ut perfecta summa « ovium integraretur in celo, homo perditus querebatur in terra. »

4. — Hugo Cardinalis per hunc hominem, Filium Dei, hominem factum intelligit, cujus grex integer tum ex Angelis, tum ex nobis conflatur, qui omnes in hoc centenario numero congrue figurantur, utpote qui supra nonaginta novem adhuc complectitur. Porro nonaginta novem oves sunt novem chori spirituum Angelicorum, qui numerum quemdam innumerabilem constituunt; una autem reliqua est natura humana: « Deserti nomine significatur colum, qui ab Angelo peccante derelictus tum. » Ex his centum ovibus una deperit, quando homo prevaricatus fuit; que ovis perditam ut inveniretur, Filium Dei de cœlis descendere necessum fuit: « Figuram Christi expressit, » inquit de hoc Pastore Evangelico S. Isidorus, « qui relictus millibus Angelorum in celo, ovem que perierat in « Adam, ut bonus Pastor, quasi iam in gentibus, « atque crucis sue humeris ad Paradisum reportavit. »

5. — Theophylactus per nonaginta novem oves, que sub duce et custodia Pastoris stabiles permanserunt, animas justas, per ovem vero errabun-

dam, peccatorem intelligit: « Justos dicit per oves « nonaginta novem et peccatorem per unam; » et quidem similitudo isthæc ob varias analogias aptissima sane est; etenim ovis perditam, per se ad ovile redire nescit, neque viam, qua domum versus eat, ut alia animalia, novit; idem quoque peccatori accidit, hic enim ex se quidem in peccatum labitur et a via recta per devia et avia inter montium prærupta aberrat, se tamen in viam rectam denuo recipere ignorat, nisi Deus compassionem erga eandem motus, auxilietur ei: *Ex te perditio tua, tantummodo in me auxilium tuum. Ose., xiii, 9. Erravi sicut ovis qui perit, dicebat David, Psal. cxviii, 176, in peccatum collapsus, quare servum tuum. Ovis, que a grege se disgregat, multa pericula incurrit; siquidem per montium prærupta, arduaque præcipitia divagatur; idem quoque peccatori contingit, quia ut S. Gregorius, lib. XXV Mor., ait: « Peccatum, quod penitentia non diluitur, ipso suo pondere mox ad allud trahit; abyssum invocat. » Ovis perditam et errabundam valde periclitatur ne lupis in prædam cedat, quippe que nec pastorem habet, nec canes, qui eam defendant, ipsaque de se inermis est et imbellis, utpote que nec cornua habet, ut taurus, nec unguis ut leo, nec sicut ursus dentes, nec venenum habet, sicut serpentes; eodem quoque modo peccator præda fit lupi infernalis; unde David ait, *Psal. lxx, 10, 11: Dixerunt inimici mei mihi, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Deus ne elongeris a me. Præterea sicut ovis perditur, quando aliarum deserit societatem, eodem modo anima ut plurimum a via bona deflectit, quando a bonorum consortio recedit; ita S. Thomas eventum, quando a collegio Apostolico se sequestravit; nec non et S. Petro, quando sequebatur eam a longe, seque discursibus et conversationi cum Caiaphæ servis immiscuebat.**

6. — Considerandum hic est, quod, tametsi nos a via recta declinemus, attamen benignissimus Salvator noster, nos inter oves suas recensere non dedignetur, quia salutis nostræ spem ipse nunquam deponit. Didacus Stella ait: *Discimus oves esse, ut Christum habeamus Pastorem.* Christus autem non est Pastor animalium immundorum, boum, leonum, vel aliarum ferarum similium, sed ovium tantum: « Vide et tu, ut non sis lupus per voracitatem, leo « per rapacitatem, porcus per immunditiam, canis « per mordacitatem, sed esto ovis per mansuetudinem, simplicitatem et obedientiam. »

Et si perdidit unam ex illis.

7. — Hugo Cardinalis pulchre declarat, qualiter discretus et perbenignus hic Pastor, majori erga unicam solam oviculum sollicitudine prematur, quam erga omnes, idque apta satis explicat simili-

tudine matris cujusdam, que e decem filiis unum habet periculose infrmantem: « Sicut mater decem « habens filios, si decimus ægrotat, magis est sollicita de eo quam de aliis novem, non tamen plus « eum diligit; ideo distinguit inter affectum charitatis et effectum; non enim de affectu charitatis « est, quod de ægro magis est sollicita, quin majori « affectu diligit aliquos aliorum; de effectu tamen « charitatis est, quia licet aliquos aliorum majori « affectu charitatis diligit, charitas tamen id efficit, « ut, quia videt hunc ægrotantem, magis de eo sit « sollicita. »

8. — « Perditio fit per peccatum, » inquit Albertus Magnus, « et per reatum, qui peccatum consequitur, ad diaboli et inferni captivitatem. *Isaie., c. lxx, 6: Omnes nos quasi oves erravimus.* » Euthymius ait: « Perditur ratione ovis, cum a divinis « præceptis longe separatur, invenitur autem cum « per penitentiam respicitur. » Salmeron hoc optime advertit, quod hæc ovicula non per Pastoris, qui vigilantissimus erat, negligentiam deperierit, quia non dormitabit, neque dormiet, qui custodit *Israel*, sed ex propria culpa amissa fuerit: *Perditio tua ex te Israel; omnes nos quasi oves erravimus.* « Et potius Deum homo amississe dici potest, cui « infinitum est damnum; ille autem, etsi nos omnes percamus, nihil perdit. Pastor tamen hic adeo « bonus est, ut celestis iniquitates ovis et in se ejus « culpas transferat. » Et ideo se ovem illam amississe simulat, neque illam per propriam culpam a grege suo aberrasse dicit; unde ingens Dei erga nos amor colligitur, qui dissimulat errores nostros eosque abscondit. *Charitas operit multitudinem peccatorum;* imo errores nostros super se sumit, sibi que vendicat: *Peccata nostra ipse pertulit. I Pet., ii, 14.*

9. — Dubium quoddam hoc loco nascitur, scilicet cur Christus universam naturam humanam, unius duntaxat ovicula nomine, in singulari numero exprimat? « Dicitur homo una ovis, » inquit S. Bonaventura, « quia omnes ex uno homine processerunt, in quo et peccaverunt, » juxta illud ad Romanos, v, 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Chrysologus similiter querit: « Quare non quatuor, quare non quinque, sed « unam? » De centum enim unam tantum perisse dicit, cur non plures nec pauciores? « Ut ostenderet « non ex damno fuisse, sed ex numero plus doloris, « namque amissio unius totum dissipaverat centenarium numerum, totum ex dextera redegerat ad « sinistram. Unus solus origo et causa fuit precipitii et lapsus omnium aliorum. »

10. — Ex hisce verbis, imo ex totius hujus Evangelii decursu, clare satis educitur, quanti Deus animas nostras aestimet; siquidem pro unius solius salute, humanam operaturus fuisset redemptionem, si id necessum fuisset; et quidem hunc esse verum

hujus parabola sensum ex eo sufficienter colligitur, quod in S. Matthæo, xviii, 4, legitur, ubi postquam eandem Pastoris similitudinem Evangelista adduxisset, quod scilicet ob unicam oviculum nonaginta novem oves deseruerit, tandem concludit: *Sic non est voluntus ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Iansenius quoque notat, quod per ovem et drachmam, que in singulari numero perditam dicitur, non tota natura humana, sed unus tantum peccator intelligatur: « Quo satis « significatur per unam ovem, aut drachmam perditam se significasse unumquemque peccatorem « potius quam totam naturam humanam. » Tertullianus quoque ait: « Erat et una Pastoris ovicula, « sed grex una charior non erat, una illa requiritur, pre omnibus desideratur. » Non minori amore prosequatur unam, nec minoris unam aestimabat, quam totum gregem, adeo unaquaque anima causam habeat, sanctam quamdam concipiendi vanam gloriam, dum videt quod Deus, qui illam creavit et redemit, eandem quoque pari in pretio habeat, quo omnes Angelos beatos, vel quo omnes creatas animas. S. Thomas, de *Beatitude. Opusc.,* considerans ea omnia, que Deus pro omnibus simul operatus fuit, de anima ait: « Propter se « solam qualibet anima reputat illa omnia esse « facta; » estque hæc opinio conformis menti Apostoli, ad Galatas, ii, 20, ita scribentis: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me,* super que verba Os aureum disserens, hunc in modum exclamat, dum ait: « Quid facis, o Paule, « cum communia proprie tibi vindicas, quæque « pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis pecuniaria? Non enim dixisti: *Qui dilexit nos, sed qui dilexit me?* » Numquid tu, o Apostole, idem ipse es, qui ad Romanos scripsisti: *Proprio Filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit?* Qui idem ad præsens propositum nostrum optime respondet, dicens: « Declarat hoc quoque par esse, ut « quisque nostrum non minus gratias agat Deo, « quam si ob ipsum solum invenisset; neque « enim recensaturus erat, vel ob unum tantam exhibere dispensationem, adeo singulum quemque « hominem pari charitatis modo diligit, quod diligit orbem universum. » Hanc quoque veritatem S. Augustinus, ni fallor, meditabatur, quando ad Deum conversus, dicebat, *Medit., vii:* « Ego sum « tui causa doloris, ego tue culpa occisionis, ego « tue mortis meritum, ego tue Passionis livor, tui « cruciatus labor. » S. Bernardus quoque in sermone xlii super Cantica, idipsum insinuat, dicens: « *Tradidit semetipsum pro me,* quia eadem charitate, qua mortuus est pro omnibus, mortuus est « pro singulis; » etenim si vel unicam solum animam redempturus fuisset, non fuisset effusus vel unicam sanguinis stillam minus eo, quem pro universo hominum genere effuderat, adeo ut cum

Apostolo dici possit: *Est Deus omnia in omnibus*. S. Thomas, III p., q. 1, art. IV, ait: « Totum quod omnibus est impensum, unusquisque debet sibi « ascribere; » nec est quod redemptionem omnibus communem fuisse dicas, quia unaquaque anima in particulari ex redemptione beneficium quoddam facta est, adeo perfectum et integrum, ac si illius nullus præter ipsam alius factus particeps fuisset: « Quid enim interest, si et aliis præstitit, cum quæ « tibi sunt præstita, ita integra sunt et ita perfecta, « quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum. »

Nonne dimittit nonaginta novem in deserto?

11. — « Hoc fecit unigenitus Filius Dei, » inquit Dionysius Carthusianus, « dum civis cælestis, « puta Angelicus spiritus in cælo, quod homo dese- « ruit peccando, reliquit. » S. Bonaventura aliam assignat rationem, ob quam Paradisum Dominus desertum appellari; dicit enim: « Quod desertum « fuit ab Angelis, et hominibus, et nullus jam ibi « poterat introire. » Cajetanus ait: « Desertum « autem cælum est separatim omnino a turbis. » Albertus Magnus ait: « Desertum est; ubicunque « mundi frequentia non est, in eis qui dicere pos- « sunt, ad Philipp., III, 20: *Nostra conversatio in « cælis est.* » Beda item dicit: « Cur autem cælum « desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur « derelictum? Tunc autem homo cælum deseruit, « cum peccavit. »

12. — Idem Venerabilis Beda observat, quod in cælorum deserto nonaginta novem oves remanse- rint, quando cælestis ille Pastor, unam illam, quæ a grege declinat, hic in terris industrie sectabatur, quia numerus creaturarum intellectualium, id est, Angelorum et hominum, quæ ad fruendum Dei visione create fuerant, per hominis lapsum diminutus erat, ideoque « ut perfecta summa ovium « integraretur in cælo, homo perditus querebatur « in terra. »

Et vadit ad illam, quæ perierat.

13. — « Non Angelum, non legatum misit, » inquit Dionysius Carthusianus, « sed in propria « venit persona, assumpta in unitate persone « natura humana, quassivique genus humanum, « pro illius conversione, reductione, salvatione, « orando, prædicando, moriendo, miracula faciendo, Spiritum Sanctum mittendo, Apostolos, « ceterosque discipulos destinando: *Gratis sicut « oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem.* » I Pet., II, 25.

14. — Enim vero convenientissime hoc loco queri potest, quam ratione boni Pastoris prudentia, ejusque erga gregem suum bonus affectus salvari possit, dum eundem in sylva aliqua seu loco deserto, mille periculis expositum deserit, ut ovem unam perditam per tot adhibitos labores et sudores

quærere possit? Chrysologus, *Serm. cLXXVII*, ait: « Hæc parabola plus divinæ pietatis, quam consue- « tudinis humane loquitur et exprimit veritatem. « Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis « non cupiditatis humanas, quia Deus et quæ non « sunt, facit esse et perditam sic sequitur, ut teneat « ea quæ relinquit, et amissa sic invenit, ut, quæ « servata sunt, non amittat; ergo non terrenus « Pastor ille, sed cælestis. »

15. — Considerat S. Augustinus, in Ps. cxxviii, hanc ovem perditæ industriam inquisitionem, valde huic Pastori arduam fuisse, siquidem hinc inde in corpore suo a vepribus et spinis disensus et laceratus fuit: « Propter ovem perditam Pastor ejus « nonaginta novem dimisit in montibus et eam « quærens Judaicus laceratus est vepribus. » Cajetanus ait: « Adventus ad quærendam ovem perdi- « tam, incarnatio est Filii Dei. »

16. — Albertus Magnus verbum *vadit*, ita in sensu morali exemplificat: « *Vadit*, passibus admo- « nitionum, vocationum, promissionum, commina- « tionum, visitationum, » adducitque textum illum Ezechielis, xxxiv, 11: *Ecce ego ipse requiram quem meas, sicut visitat Pastor gregem suum.*

17. — Didaeus Stella ad Pastores et Prælatos Ecclesiasticos se reflectens, efficac hoc stringit in illos argumentum: « Si Pastor pro una ove errante « tantum opere ponit, ut rupes, montes et vales « percurrat, quantum tu facere debes, qui curam « animarum geris, pro anima, ad imaginem et « similitudinem Dei creata, Christie sanguine « redempta? » S. Carolus in propria persona per asperas et vix pedem hominis sustentantes, montium vias, manibus reptando et in locis sublimissimis, inter montium prærupta glaciæ et nivibus undique illescentia, ut pedem in lubrica glaciæ figere posset, in calcæis, subtus aculeis ferreis communitis, totoque corpore sudore madidus, circuire diocesim suam solebat, ut perditam hanc oviulam studiosè inquireret, quem proinde sancta Ecclesia speciali hoc encomio illustrat, quod scilicet illum « Pastora- « lis sollicitudo gloriosum reddidit. » Idem quoque die quadam, Cardinalem quendam, Episcopali cura onustam, ad residendum in suo Episcopatu cohortans, cum hoc ab eo retulisset responsum, pauculas illas animas, quas in Episcopatu suo recensabat, a solo ipsius vicario commodo et sufficienter satis gubernari posse, dignam hanc tanto Prælato reposuit sententiam: « Non solum multa animarum « millia, sed etiam unica solum anima, magni « cujusdam Pastoris meretur presentiam atque « custodiam. » Porro inter alia honorifica epitheta et titulos, quibus sapientia incarnata Episcopos et Prælatos Ecclesiasticos condecoravit, etiam hic est, quo sal terræ sibi commisse illos appellavit, dicens, *Matth., v, 13: Vos estis sal terræ;* sal autem inter multas alias proprietates, quas habet, hanc quoque

obtinet, quod videlicet cibi alicujus, pro cuius condimento adhibetur, partes intimas penetret, quod tamen facere nequit, nisi totaliter prius in seipso resolvatur et colliquescat; eodem quoque modo Pastor aliquis de numero illorum est, quales Christus requirit, ad loca inaccessa et alpèstria diocesis sue penetrare et accedere debet, ut ovibus suis ibidem degentibus, doctrinæ, admonitionum, honorum exemplorum, eleemosynarum, aliorumque omnium, quæ ad spirituale et temporale gregis sui bonum spectant, salutare condimentum adhibeat, semetipsum etiam, si ita postulaverit necessitas, per labores, sudores, curas et anxietates consumendo, siquidem: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

Donec inveniat eam.

18. — Deus etenim noster pro salute animæ nostræ laborare nunquam desinit; unde S. Bonaventura, in *Luc.*, ait: « Ad istam ovem, scilicet ad « hominem salvandum, venit Deus, nec desisit ab « inquisitione ante salutem; » et ideo, ut Salmeron ait, « hisce verbis significatur perseverantia quæ « rendi. »

Additiones.

a. — *Quis ex vobis homo qui habet centum oves; et si perdidit unam, etc.* Cur tot myriades hominum uni assimilat ovi? Pulchre D. Chrysologus, *Serm. cLXXVII*, ait: « Ut inveniret in una omnes. » Quasi nihil sibi acquirere noverit Dominus, in quo unitas non effluget; tantopere concordie et pacis amans est, ut nihil magis Deum ostendat, quam unitas; nihilque magis Deo contrarium, quam divisio, adeo ut ex divisione, veræ Deitatis absentia significetur. Hinc pax nescio quid divini in se habere probatur, ut ab illa sibi Filius Dei nomen sumat et vocetur *Princeps pacis*. Hinc Ecclesiasticus, xii, 25, de creaturis elementorum locutus, dicit quod fecit Dominus: *Omnia duplicita, unum contra unum.* Cur unum contra unum? S. Chrysostomus, in *Psal. II*, attingit rationem, aïens: « In creatione « quidem mundique officio, quæ sunt inimica « natura, concordiam amplexa sunt et mundum « perfecerunt, nutui officis parentia; in universi « autem providentia sunt sibi invicem infesta, « impium nullorum deorum cultum refellentia, « ut omnes sciamus, quod quæ bello impetunt et « impetuntur, dii esse non possunt. » Nusquam Deus in divisione est; et ideo in mundi exordio, quæ etiam naturæ inimica sunt, ad concordiam reduxit ut pacem et concordiam homini persuadeant. Omnes enim creaturæ in bonum universi, pacem inter se conservando, homines ad pacem extrinsecant.

b. — Murmurationis Pharisæorum occurrit Dominus, tribusque parabolis, de ove, drachma perditæ ac prodigo, ostendit gratissimum Deo esse peccatoris conversionem ac penitentiam. *Quis ex vobis*

homo? Hæc est prima parabola de ove perditâ, qua Pharisæorum obtrectationem efficaci refutat argumento, ut ait Hugo, ac si dicat: *Quis vestrum, quamvis multas habeat oves, si tamen errantem reducere laborat ad ovile, non reprehenditur; multo magis nec ego debeo reprehendi qui hominem errantem reduco, multo meliorem ove. Ex quo, inquam, argumento gratissimum Deo ostendere voluit esse penitentiam, cujus quidem una ex partibus essentialibus, a Christo Domino instituta confessio, per quam veluti ad Christum appropinquamus, tam est Deo grata, ut sit species quædam sacrificii, Deum placet, nos a temporalibus eripiat quandoque supplicis, nos dicit gratissimam, secunda ad cælum velut ovile Christi sit semita.*

c. — Pulchre Tertullianus, *lib. de Penitentia, cap. VIII*, ait: « Errat etiam pastoris oviula, sed « grex una charior non erat; una illa requiritur, « præ omnibus desideratur. » Nonaginta novem oves habebat sub custodia pastor, et cum una esset perditâ, sic pro ea comparanda insudat ac laborat, veluti si totum gregem amississet. Quidquid enim Deus pro omnibus animabus fecit, etiam pro una sola facturus fuisset. Salvator noster animæ pretium quod pro ejus redemptione exolveret indicare volens, non in plurali, sed in singulari numero dixit, *Psal. lxxviii, 8: Propter te sustinui opprobrium, operui confusio faciem meam.* Et quidem ne id casualiter, aut fortuito dixisse videretur, eandem protestationem paulo post confirmat dicens: *Opprobria approbantium tibi ceciderunt super me.* Non dixit *vobis*, qui tametsi totius generis humani peccata in cruce portaverit, pondus tamen istud hand aliter considerandum est, quam si illud pro solis peccatis meis sustinuisset: « Neque enim recusaturus esset vel ob unam tantum exhibere dispensationem, adeo singulum quemque « hominem pari charitatis modo diligit, quod diligit « orbem universum, » ait S. Chrysostomus. S. Augustinus qui rem hanc optime intelligebat, ita de ea meditabatur: « Ego sum tui causa doloris, ego « tuæ culpa occisionis, ego tuæ mortis meritum, « tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ passionis livor, « tui cruciatus labor. »

Considerate obscuro paterna illam Dei nostri providentiam et curam, quam habet exquisitè animæ in particulari. Nota passim sunt omnibus affectuosa illa S. Augustini verba dicentis: « Cum « cunctis præsideas, cunctorum curam geras, sic « gressus meos semitasque consideras et super « custodiam meam vigilas, veluti si totius creature « tuæ, cœli et terræ oblitus sis; tantum me solum « consideras, ut nihil sit tibi curæ de aliis. » Neque hanc protestationem in solis facit Soliloquiis suis, verum etiam alibi, in libro de *diligendo Deo*, ubi Deum ita se erga ipsum habere dicit, ac si nihil aliud quod faceret aut curaret haberet: « Sic certe